



Dette værk er downloadet fra Slægtsforskernes Bibliotek

Slægtsforskernes Bibliotek drives af foreningen Danske Slægtsforskere. Det er et privat special-bibliotek med værker, der er en del af vores fælles kulturarv omfattende slægts-, lokal- og personalhistorie.

Støt Slægtsforskernes Bibliotek – Bliv sponsor

Som sponsor i biblioteket opnår du en række fordele. Læs mere om fordele og sponsorat her: <https://slaegtsbibliotek.dk/sponsorat>

Ophavsret

Biblioteket indeholder værker både med og uden ophavsret. For værker, som er omfattet af ophavsret, må PDF-filen kun benyttes til personligt brug. Videre publicering og distribution uden for husstanden er ulovlig.

Links

Slægtsforskernes Bibliotek: <https://slaegtsbibliotek.dk>

Danske Slægtsforskere: <https://slaegt.dk>

COMMENTATIONIS
DE
RE VETERUM BOREALIUM
SERUILI

PARTICULA PRIMA.

QVAM

PROGRAMMATIS LOCO

SOLEMNIA EXAMINIS

IN

SCHOLA CATHEDRALI OTHINIENSI

D. XIV & SEQQ. OCTOBRIS PUBLICE

HABENDI INDICTURUS,

SCRIPSIT

THOMAS TROJEL,

CLASS. HIST. ET GEOGR. IN EADEM SCHOLA MODERATOR.

OTHENIS MDCCCV.
TYPIS SEVERINI HEMPEL,

1805

PRÆMONENDA.

Quemadmodum nulla historiæ pars svavior est aut utilior eâ, quæ in moribus hominum, variisque, quas hi temporis decursu subiere, mutationibus pingendis atque illustrandis versatur, ita quoque vix ullum historiæ veteris caput est, quod magis ad ævi genium atque indolem penitus cognoscendam conferre valeat, quam si quis sibi fœdam istam servitutem, quæ a cana inde antiquitate apud omnes gentes viguisse deprehenditur, accurate describendam atque explicandam proposuerit. Hujus enim origine, natura et indole detecta, progressuque et modo, quo tandem exoleverit, observato, magna cum prisca vitæ domesticæ ratione, cum prisca legibus, cum prisca denique rerum publicarum conditione, necesse est, contrahatur familiaritas, et, si quæ supersint adhuc

fervitutis vestigia , eorundem quoque rationem
clarius perspectam teneamus.

Neque minus ab alia parte ad præsens hæc
historia pertinere tempus videtur, quo lætissimam
concepimus spem, fore ut factum illud et igno-
bile servitium cum plurimis, quæ inde in no-
stram rempublicam irreplerint, malis, religionis
benefica vi jamdudum concussum, a fastigio il-
lo, in quod et ferocitas et sacra auri fames il-
lud evexerat, tandem detrusum penitus delea-
tur.

Operæ pretium itaque facturus, si servitutem,
qualis quidem apud veteres boreales gentes vi-
guerit, exponere valerem, hoc unum haud satis
scio, an meæ vires, præsertim cum eximüs il-
lis subsidiis, quæ a suis thesauris suppeditant
bibliothecæ metropolitanæ impræsentiarum desti-
tuor, rem tanti operis ferre sustineant.

Extant quidem — id quod fatendum — e-
gregia multa, quæ ad rem propositam impri-
mis

m̄s faciunt, in scriptis doctissimorum virorum
passim dispersa, quæ vero, cum hactenus —
quantum quiddam ego scio — nondum sint vel
in ordinem satis digesta, vel in totum aliquod
collecta, juvat, apparatu tandem congesto, ip-
sas ædes quomodocunque exstruere, partes ad
alium lubens delaturus, si quis peritior anti-
quitatis æstimator eas in se suscipere voluerit.

Cum vero tanta sit argumenti moles, ut ju-
stos, intra quos nostrum hoc specimen coerceri
debet, longe transeat fines, id in primis agen-
dum existimavi, ut, dispersitâ materiâ, disqui-
sitioni de fervorum variis generibus, horum va-
ria conditione et remediis, quibus ipsa servitus
delinita sensim sensimque aboleverit, instituen-
dæ nonnulla de ejus origine sive de causis illis,
quibus libertas apud veteres boreales amisâ fue-
rit, præmitterem: hoc quoque commodi inde-
reportaturus, ut hæc vel simili occasione ob-
lata, singulas hujus commentationis partes in
publicum emittam.

Cæterum in hac materia tractanda hanc elegi
viam, ut exempla, quibus ipsa historica narra-
tio niteretur, ne series et filum sermonis sæpius
abrumperetur, notulis infererem. De fontibus
vero quos adire licuit, vel quibuscunqve suble-
vatus sum adminiculis, cum ea diligenter attu-
lerim, non est quod plura hic putem dicenda.

Conspectus argumenti

primi capituli

de servorum apud veteres septentrionalium regionum
gentes origine.

- §. I. Pauca in universum de servitutis indole vetustate et causis præmittuntur.
- §. II. Servitutis apud veteres Boreales in universum descriptio et historia breviter delineata.
- §. III. In servitutem apud majores nostros redigebantur homines armorum vi, tam in latrociniis et piraticis quam in bellis legitimis.
- §. IV. Servus factus est ob delicta, si quis reus mulctæ legibus præscriptæ non par erat
- sol.

solvendæ. Fuere tamen et alia delicta, quibus propria servitutis pœna constituta fuit.

- §. V. Liberi homines ære alieno oppressi in servitutem redacti sunt.
- §. VI. Nonnulli servitutis jugum sponte subiere.
- §. VII. Libertes interdum iniqua patrum in liberos potestate et quæstu mangonico amittebatur.
- §. VIII. Libertini quoque multimodis e statu libertatis deprimebantur.
- §. IX. Servis jam quomodocunque constitutis, servilis stipes natalium injuriâ ab interitu conservabatur; et quidem servorum liberi servi nascebantur: de prole ingenuorum e servili conjugio suscepta ut plurimum valuit regula: partus sequitur ventrem.
-

§. 1.

Cuivis antiquitatis monumenta perlustranti sese spon-
 re obtrudit acerba quidem at vera hæc persuasio, ig-
 nobilem inter homines servitutem omni historia anti-
 quiorum apud omnes, quotquot olim floruerint nobi-
 lissimi populi, in ipsis etiam civilis societatis incuna-
 bulis invaluisse. Vitæ patriarchalis simplicitas servitu-
 tem tulit atque admisit; Orientalium mollities, Oc-
 cidentalium ut et Borealium ferocitas eâ haud carere
 potuit; culti quoque et urbani Græcorum mores dig-
 nitati humanæ vim inferre, et, quos ipsa naturaliber-
 tatis beneficio donaverat, eos mancipiorum instar habe-
 re atque tractare non perhorruerunt a). Hi et cultu
 et

a) T. Rothe Christendommens Virkning paa Folke-
 nes Tilstand i Europ. Tom. 5. Pag. 241 sqq.

et sedibus diversissimi populi, licet varia quidem pro varia gentis indole, varia terræ natura aut vario servitii genere fervorum fors apud eos fuerit b), in eo tamen omnes consenserunt, ut miseros illos homines quadrupèdibus fere exæquarent, vel — ut toto suo ambitu servitutis naturam describamus — servos et mancipia sua non hominum loco, quibus communia humana jura deberentur, habere, sed iis veluti rebus dominio possidentium perfecte atq. absolute subjectis pro arbitrio uti non dubitarent.

Inter plures illas causas, quæ homines eo usq. vilitatis depressisse æstimandæ sunt, primæ merito recensentur bellum et captivitas aliive potestatis abusus. His autem omnibus, necesse est, præcesferit five ignorantia, five contemptus dignitatis humanæ: ex hac enim neglecta, veluti e communi fonte malorum, fluxere tot calamitates, quibus et olim in gemuerunt, et nunc premuntur homines. Quicquid autem ipsis hominibus nostra ætas tribuere solet juris, id viribus solis earundemque præstantiæ adsignavit durius illud ævum; ut enim omnia, quibuscunque occupandis pares erant, vis sibi et potestas arrogabant; sic libertatem sibi nemo, nisi virium tutela munitus vindicare poterat. Hic primus servitutis fons, hæc uberissima malorum scaturigo.

Cum

b) Vide sis infra notam 1.

Cum vero hominum multi e tali initio primam libertatis jacturam fecissent, et alieno arbitrio esset ipsis vivendum, sensim sensimque accrevit illud malum, donec tandem in systema veluti oppressionis redactum fuit, qua quidem re Romani præ cæteris fuere infames c).

§ II.

Nec major humanitatis laus veteribus septentrionis incolis vindicari potest; nos enim, licet invitos, fateri tamen cogit veritas, fuisse hic ut et alibi miserum hominum genus, quod servum merito dicas d); alieno quippe imperio subjectum, jure etiam vitæ necisque domini potestati plane relicto, omni legum tutela carebat e). Hæc mancipia sua prisca Boreales generali compellatione dicebant Man, annödngli Hion et Træl; habito autem sexus discrimine, servum vocabant ofræls Madr, servam Trællin ofræls kona, Ambut s. Ambat: ipsam servitutem appellabant Trældom, Annödughdom, et in servitutem redigi at Komme i Annödngldom, at Piaft f). Prima hujus servitutis origo in ævo remotissimo oculis indagantium vel acutissimis sese

c) Rothel. lib. et Tom. cc. p. 223;

d) v. infra not. II.

e) v. not. III.

f) v. not. IV.

seſe ſubducit, inque tenebris cœnæ antiquitatis evaneſcit; non tamen dubium ſuperesse poteſt, quin poſtremi Othini has in terras adventu longe ſit antiquior. Cum autem ejus tempora vix tranſcendat hiſtoria borealis, proximaq. poſt eum ſecula denſa noctis caligine premantur, haud ſane lubet in tenebris, ubi viæ ductore deſtituor ulterius palpare.

Quæcunq. itaq. fuerit ſervitutis in ſeptentrione prima origo aut vetuſtas, id tamen indubio hiſtoriæ teſtimonio conſtat, eam, quamdiu ſacris Othini, quietiam fervos e Valhalla ſive beatis fortium ſedibus excluſerat, addicti fuere veteres Scandinaviæ populi, omni ſua fæditate viguiſſe; deinde vero, poſtquam placida Chriſti religio, cuius ab hac parte merita nemo facile inficias ibit, ſuperſtitionem iſtam, quæ nil niſi cruorem ſpirabat, ſenſim proſtigaverat, ſervitutem quoque mitigatam fuiſſe, ac deniq. poſt varia variorum tentamina ſub medium circiter ſeculum XIV. in omnibus borealibus regnis plane abrogatam.

NOTÆ.

- I. Sic v. c. constat Germanorum servos meliori quam Romanorum loco habitos fuisse; servis enim Romani ad luxum, Germani ad opera rustica uti solebant, quamdiu nempe urbanam vitam ei-
 junctam luxuriam hi nondum degustaverant — v. Heineccii antiquitt. german. tom. II. p. I. pag. 443 — et magnum utique lucrum servo, si in operibus rusticis faciendis occupatus, domino iracundo aut crudeli, penes quem jus vitæ necisq. in mancipia erat, rarius ante oculos obversaretur, simulq. aliquam fructuum partem tanquam peculium suum sibi parare posset. De ipsis præterea Romanis notissimum est illud proverbium: servus servo præstat.
- II. Johannes Magni in vita Bergeri regis l. XX. c. 24. gloriæ patriæ nimium studiosus invehitur in eos, qui affirmant, regem Birgerum legem de venditione mancipiorum abrogasse; „Quasi — inquit — id antea lege concessum fuit“ at eum merito reprehendunt quot. quot. de ea re scripserunt cordatiores v. Stiernhóók de jure Sveonum l. II. c. 4. p. 202.
- III. Non equidem video, an fervorum ad rempublicam relatio brevius aut clarius simul possit describi, quam hisce Erlingi Skalgii filii, cujusdam Norvagiæ Optimatam verbis „Prælar minir ero eigi i lógom eda landsretti med ódrom mónnom“ (Heimskringla tom. II. pag. 186 edit. Schönngii) 3: servi mei leges et iura aliorum incolarum haud participant: et notabilis sane occasio ac tempus, quo hocce dictum est. Vetuerat enim Norvagiæ rex Olafus sanctus, ne aut frumenta aut potentia aut farina a meridionalibus ad septentrionales regni partes portarentur; ut autem
 re

regio edicto illuderet Erlingus, Asbiórno con-
 sanguineo frumentum parare cupiens, servis suis
 abusus iussit, ut frumentum, quod ipse metu
 pænæ vendere non auderet, illi conferrent ve-
 numq. exponerent, excusationem contumaciæ
 tali modo sibi expetens, culpamq. a se in ser-
 vos ita transferens, dominus enim pro servis
 pænam erat daturus, his vero nil a lege ti-
 mendum, nec multum a domino, cum ipse
 iudex idem facinoris autor suaforq. existeret

Præterea antiquissimæ Norvagiæ leges jus
 vitæ necisq. domino servi plane concedunt,
 ea tantum cautione — quæ autem christianum
 ævum et recentiorum legis emendationem a-
 perte spirat — ut ipso necis die factam civi-
 bus suis declaret servicida, at ab omni cæte-
 rum pæna immunis, exigua admodum ad
 Pios usus multa excepta v. Legis Hakoni
 Hakonidis in foro frostensi latæ partis
 IVtæ cap. XVtum, in versione Paulii
 pag. 67. „Dræber nogen Mand sin Træl
 da skal han sige det til Folk samme Dæg og
 da bøder han derfor ikke til nogen uden til
 Gud“ Lex autem hac antiquior, quam in fo-
 ro Gulõe tulit Hakonus Adalsteinii alumnus,
 præcipit in codice de homicidio, cap. IV, a-
 pud Paus tom. 1 p. 146. si e quatuor pluri-
 busve iter una facientibus alter alterum comi-
 tem suum occiderit, necis puniatur, si autem
 servus forte adfuerit, et in eum crimen de-
 volveri placuerit, is reus necis habeatur „Er
 Træl i Følge med dem, da er han Mands
 Bane, om de ville lægge ham Drabet til“.

His ita expositis apparet, nullam servorum
 cum civitate fuisse relationem, eos vero impe-
 rio domini quam maxime arbitrario quin eti-
 am iniquo fuisse subjectos. Cum vero exem-
 pla

pla supra allata ex historia Norvagica unice sint petita, tantummodo observandum videtur, eandem apud cæteros septentrionis populos fuisse fervorum conditionem. Quod quidem evincere non magni foret laboris, cum viam præmonstraverint et noster K. Ancher (Dan-Lovhistorie Tom. 1. p. 412 1qq) et Stiernhöök (lib. c. p. 209.) Quæ autem omnia, ut brevitati consulere, in præsens omittenda esse putavi. Islandicæ leges, cum fere omnes, postquam sacra christiana ibidem recepta erant, ad exemplar Norvagicarum latæ sint, pauciora de servis continent; at ibi, tamen mancipia quoque fuere v. Arngriimi Jonæ Crymog. lib. 1. c. 8. p. 83.

Cæterum posito hoc servi caractere, ut res sit, non homo, per se patet, uxores veterum Borealium, licet potestas maritalis limitibus admodum angustis circumscripta fuerit, cum tamen nec instar servarum per æs et libram a viro alteri mancipari aut venundari potuerint, non fuisse res mancipii. v. cel. Thorlacium in antiquitt. borrh. observatt. spec. IV. §. XXIX pag. 188. De patris in liberos potestate posthac erit locus opportunior dicendi.

- IV. Quod hæ fuerint usitatæ majoribus nostris servorum compellationes, testantur autores celeberrimi K. Ancher (l. c. tom 1. p. 417 in notis) et Thorlacius (L. et. § c. p. 190) qui etiam verbi ut *Piaft* adhuc in danico Tyende vestigium remanere existimat. Præter hos Stiernhöök (l. c. p. 206) et Verelius in notis ad historiam Gauthreci et Hrolfi p 19 1qq. Plures quidem possent offerri servorum compellationes; cum autem notionem certi cujusdam servitutis generis annexam simul habeant, nec igitur nominum significatio absq. addita

addita rei ipsius explicatione intelligi possit, haud alienum mihi visum est, ceteras speciales compellationes in praesens omittas ad eam hujus speciminis partem, quae de variis fervorum generibus tractabit, reservare.

Ut vero ad id, cuius gratia haec sumus praefati, properemus, vos, quotquot estis rei scholasticae patroni, fautores atq. amici, enixe rogamus, velitis favore, quo estis soliti, examini pubis nostrae scholasticae XIV. et sqq. Octoberis dd. ex praescripto legis instituendo frequentes interesse. Quod si feceritis, animos tam docentum quam discipulorum multum excitabitis, futuri testes impensis illorum laboris, horum vero studio et alacritati magnum calcar addituri.
